Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Meruit enim nobis per mortem aditum paradysi. quem per penitentiam non meruerat. et redemptionem a peccato. et pena. et diabolo. Nam cum per hostiam reconciliatur. certe si deus mundum. nulla alia reconciliatio sufficiebat cum omnes peccassent. Decreuerat autem deus ut ait ambrosius. neminem in paradysum id est ad dei contemplationem admitti. nisi alicuius hominis humilitas tantum posset proficere. quantum primi hominis potuit nocere superbia. Talis quoque nemo inuentus est. nisi leo de tribu iuda. qui moriens a peccato liberauit nos et diabolo. dum per eam mortem caritas excitatur in cordibus nostris. Attendentes enim in eum quasi in serpentem eneum et uidentes quanta caritate nos dilexerit ut pro nobis scilicet moreretur. mouemur. accendimurque ad diligendum eum. qui pro nobis tanta fecit. et sic soluti a peccato. et diabolo iustificamur. Denique et peccata nostra portans super lignum id est penam peccatorum. redemit nos a pena eterna quidem relaxando debitum. a temporali et spe. non adhuc re. a qua penitus nos liberabit. quando nouissima destruetur mors. et ita redemptor noster factus est. Quod per se dicitur exhibitione humilitatis. communiter uero tota trinitas dicitur redemptor affectu potestatis. Solus tamen christus mediator est inter mortales peccatores. et inmortalem iustum.

Solus enim ipse est deus homo. mediator factus secundum quod homo. in quo per infirmitatem propinquat nobis. deo uero per iusticiam. Sane secundum quod uerbum est. non est medius. sed unus cum patre deus. Cur isto tamen modo liberare nos uoluit cum alio posset.

Fuit sane et alius modus nostre liberationis deo possibilis. sed nullus nostre miserie sanande conuenientior. Hic enim modus a morte desperationis nos maxime liberat. et mentes nostras ad superna erigit. cum uidemus eum tanti nos fecisse ut mala nostra ipse inmutabiliter bonus moriendo perferret. et ideo quoque quia sic iusticia superatur diabolus non potentia. Potentia enim liberare potuit deus seruum suum. quem diabolus fraudulenter abduxit. et uiolenter tenuit. quod tamen noluit ne homo uiolenter sibi tolli uideatur. Humiliatus autem per mortem iuste hoc fecit. Iustum est enim ut debitores quos tenebat liberi dimittantur. credentes in eum quem sine ullo debito occidit. Quod mors christi trinitatis et iudeorum opus fuit.

Denique sciendum est mortem christi opus fuisse trinitatis et iudeorum. Trinitatis. quia deo auctore id est uolente facta est. Iude quia prodidit. Iudeorum et diaboli. quia suggesserunt. et sic res una id est mors christi

quomodo aditum

ambrosius

quomodo a peccato et diabolo

quomodo a pena

aug. in xiii. de trinitate